

DISSENTATIO IN AVGURALIS MEDICO-CHIRVRGICA  
DE  
**PER NIONIBVS**

---

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EX-  
PERIENTISSIMO

**DN. JOANNE JVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS

H. L. Q. C.

*AD d. MAI ANNO MDCCXLV.*

PVBLICO ET BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

**IOANNES THEODORVS FRITZE**

HALLENS. MAGDEB.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE*

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

birarg.  
76, 24

HERTHA

1800/T

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-  
CHIRVRGICA

DE  
PERNIONIBVS.

PROOEMIVM.

**V**trum morbus indole sua hyemalis, artubus extremitatis, manibus præsertim atque pedibus, aliquando etiam auribus naribusque admodum molestus, quem *pernionum* nomine insigniverunt Latini, primo artis salutaris statori, divo HIPPOCRA-TI iam cognitus fuerit; disputant quidam artis nostræ salutaris interpretes. Id qui negant, provocant partim ad catalogum istum morborum hyemalium, quem *Sect. III. Aphor. XXIII.* ex interpretatione FOESII Senex noster hunc in modum dedit: *Hyeme pleuritides, pulmonis inflammationes, lethargi, gravedines, rauitates, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, & capitis vertigines & apoplexiæ, tum flunt, tum exacerbantur;* ubi pernionum nulla plane fit mentio. Partim vero *clima* illud Græciæ urgent, quod respectu frigoris pariter ac caloris, dum proprius omnino ad zonam torridam accedat, à nostris regionibus differat in eo, quod frigus adeo intenso ibi neutiquam occurrat, adeoque morbum istum, ab intensiori frigore ortum, populis septentrionalibus magis esse proprium. Unde ne quidem nomen illud græcum χειμεθλον, vel χιμετλον, aut χιμετλη, quo ulcera ex graviori frigore enata dixit ARISTOTELES, DIOSCORIDES, aliique, in ullo HIPPOCRA-TIS libro occurrat. Enimvero ad hæc argumenta

A 2

illi,

illi, qui affirmantem hac in re sententiam defendunt, respondent: HIPPOCRATEM in recensendis morbis humoralibus, ad morbos magis internos & hyemis maxime familiares, quam ad externos, & qui forte rariores fuerint in Græcia, respexisse *Aphorismo XXIII.* Porro dicunt, quamquam Græcia multis gradibus æquatori proprietor sit, adeoque hyeme minora omnino frigora perferat, quam nostra Germania; illud tamen negari non posse, quod corporibus magno calori per æstatem ferendo adsuetis, ista declinatio ad frigus, quæ in illis regionibus summa est, æque molesta & sensibilis sit, quam est frigus summum temperatæ zonæ, si conferatur cum summo calore qui in eam cadit. Deinde vero aiunt, licet forte ista vox græca χειμεθλον, non adeo frequenter occurrat in HIPPOCRATE, occurrere tamen illam lib. VII. Epid. cap. XXXIIX. text. II. licet FOESIVS in *Oeconomia HIPPOCRATIS* illius nominis nullam fecerit mentionem. Tandem asserunt, rem ipsam divo nostro Seni cognitam omnino fuisse atque perspectam, ex duobus quidem locis, admodum claris, facile colligi posse. Prior iste locus exstat *Sect. V. Aphorismorum*; ubi *Aphorismus XX.* ita se habet: *Vlceribus frigidum mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, denigrat, rigores febriles facit, convulsiones & distensiones;* posterior autem occurrit, libro de *prisca medicina* cap. XXIX. text. XVII. ubi, interprete FOESIO, sequentia leguntur verba: „Quicunque, inquit, „per nivem aut aliud frigus iter facientes, excellenter frigescunt, aut pedibus, aut manibus, aut capite, ubi se continuerint in noctem, cum cooperti fu-

erint,

„erint, & in tempore extiterint, ab æstu & pruritu ve-  
 „xantur; quibusdam etiam bullæ velut ambustis ab  
 „igne exsurgunt, neque prius hoc patiuntur quam  
 „calefiant. Fateor omnino ista duo loca divi HIP-  
 POCRATIS, tam clara esse atque evidentia, ut qui ea  
 parum etiam attente considerare modo velit, non pos-  
 sit non illorum se adscribere sententiæ, qui pernio-  
 num cognitionem Seni nostro vindicant. Quicquid  
 autem huius rei sit; nos in Græcia non vivimus, sed  
 in Germania, ubi tumores isti partium extremarum,  
 a frigoris inclemencia pedibus, manibus, aliisque  
 artubus extremis illati, satis quidem frequenter oc-  
 currunt. Cumque molestissimi illi dolores homines  
 non solum plebeios, qui manus pedesque denuda-  
 tos aliquando, liberori frigori exponere necesse ha-  
 bent; sed & viros nonnunquam illustriores, qui vel  
 castra sequuntur, vel longiora equitando præsertim  
 faciunt itinera, gravissime adfligant; operæ pretium  
 esse duxi, si inaugurali dissertatione, tum de *pernio-*  
*num indole & natura*, tum de *causis atque signis il-*  
*lorum*, tum etiam de *consiliis, auxiliis, & remediis*,  
 breviter exponerem, quibus tumores illi dolorifici  
 vel præcaveri, vel mitigari vel penitus auferri pos-  
 fint. *Faxit DEVS feliciter!*

## §. I.

**P**ernionis nomen a voce græca *περνία* seu *πτερνία*, Nominis ex-  
plicatio. ubi τ̄ aliquando eliditur, originem suam trahere,  
 admodum est probabile. Denotat autem ista  
 vox proprie calcem seu calcaneum, five pedis extre-  
 mitatem; improprie vero cuiuscunque rei partem

A 3

extre-

## 6 *Dissertatio inauguralis medico chirurgica*

extremam significat. Hinc PLINIVS *pernionem* & *perniunculum* morbum vocat pedum ex nimio frigore, calcaneum maxime occupantem. Deinde vero extensum fuit illud nomen ad alias corporis extremas partes, ad manus nempe, imo ad aures naresque frigore correptas. Quod autem Latini perniones vocant, illud Græci  $\alpha\pi\tau\tau\chi\mu\omega\nu\sigma$ , ab hyeme,  $\chi\mu\epsilon\tau\lambda\sigma$  dicunt, ulcus ex hyberno frigore, quod ditti pedum manuumque, aliaque loca extrema contrahunt. Occurrit ista vox apud ARISTOTELEM non solum, ARISTOPHANEM aliquosque plures; sed apud ipsum etiam HIPPOCRATEM, licet semel forte, legitur, loco in *Proæmio* iam dicto, ubi expresse scribit:  $\chi\mu\epsilon\tau\lambda\sigma$  καταχάν, *perniones scarificare oportet*, & calefacere, ita ut quam maxime excalafacias igne & aqua. DIOSCORIDES autem voce utitur  $\chi\mu\epsilon\tau\lambda\eta$ , quæ idem denotat, ac quod alii latine etiam efferunt chimetla, seu ulcera, quæ hyberno tempore in manuum pedumque digitis, nec minus in posteriori calcaneo oriuntur. Germani huncce morbum admodum molestum, atque dolorificum appellare solent, erfrohrne Glieder, das Aufbrechen der erfrohrnen Glieder, Schrunden an Händen und Füssen von der Kälte; rarius, sed satis apte, dicitur die Wintersucht.

### §. II.

*Definitio Pernionum.*

Quanquam vero, in constituenda ratione formalis huius morbi hyemalis, non una eademque sit medicorum omnium sententia; alii enim nimis generaliter, cum GABRIELE FALLOPIO, per *defectus membrorum extreborum*, alii cum SENNERTO per *inflammationem*, alii cum BORELLO per *rubores pruri-*

*pruriginosos*, alii cum PLATERO per *rimas seu fissuras*, alii denique cum LEONHARDO FVCHSIO per *ulcera* definire solent perniones; plerique tamen & rectius cum WEDELIO *genus pernionum* consti-  
tuunt *tumores partium extremarum, manuum & pe-  
dum* cum primis. Constat enim per experientiam,  
quod calcaneus, digiti pedum & manuum, tempore  
hyberno in pernionibus in maiorem, quam per na-  
turam esse debebat, molem distendantur. Quemad-  
modum autem tumores alii magis sunt *dolorifici*;  
ut inflammations, alii *duri* magis ut scirrhi, alii  
*molles* sunt, ut oedemata; ita perniones ad tumores  
inflammatorios recte omnino referuntur, siquidem  
non solum ingens dolor, sed insignis etiam rubor,  
in partibus extremis frigore correptis deprehenditur.  
*Differentia vero specifica pernionum a reliquis tumo-  
ribus inflammatoriis, a stasi humorum per frigus in-  
troducta, optime desumitur;* unde sequens oritur  
pernionum definitio: *Perniones sunt extumescentiae  
præternaturales, plus minus inflammatoriae, in extre-  
mitatibus artuum præcipue provenientes, & ab insigni  
refrigeratione ortum ducentes.*

## §. III.

*Differunt perniones non solum ratione subjecti, Differentias  
ubi, si varias corporis partes extremas e. g. nares,  
aures, manus, pedesque simul adficiunt, universales  
audiunt; particulares autem vocantur, si modo hanc  
vel illam partem tantum e. g. hunc vel illum manus  
pedisque digitum occupant. Sed maxime differunt  
perniones ratione graduum, quorum tres potissimum  
constituit Celeb. noster PRÆSES in Conspectu Chi-  
rurgicæ*

8 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

*rurgiæ Tab. XII.* Primus gradus est, ubi simplices modo extumescentiæ, leviter tantum inflammatoriæ adsunt, sine insigni ardore. Secundus gradus est, ubi vel *fissuræ* in parte adfecta eveniunt, e quibus serum flavescens, leniter cruentum, prodit, & si profundius visitentur, sincerus sanguis effluit; vel *vesiculae* oriuntur, uti in ambustionibus, cum maiore tumore inflammatorio pallido rubicundi coloris. Tertius tandem pernionum gradus ille dicitur, ubi vel veræ *exulcerationes*, vel *putridæ* plane gangrenoso-sphacelosæ *corruptiones* emergunt. Vnde reliquæ pernionum differentiæ facile intelliguntur, quando vulgo in *cæcos* & *apertos*; in *exulceratos* & *non exulceratos*; in *mitiores*, quos nulla vel pauca comitantur symptomata, & *vehementiores* dispesci solent, ubi graviora & vehementiora urgent symptomata.

§. IV.

*Subiecta.*

*Subiecta* pernionum generatim quidem sunt *artuum extremitates corporis vivi*, nam in corpus mortuum seu cadaver perniones cadere nequeunt; *speciatim* vero *calcaneum*, *pedum manuumque digitos*, *nares*, *aures* earumque *lobos*, aliquando etiam *loca pudenda* occupare solent perniones. Ratio huius phænomeni, cur frigus intus, artuum extremitates, maxime corripiat, in remotiore quidem harum partium, a corde, caloris fonte, distantia; maxime autem in eo quærenda erit, quod hæ partes extimæ magis sint nudæ, excarnes, aeris iniuriis & frigori magis expositæ, sanguine & calore vitali minus fætæ, unde & frigoris violentiæ minus resistere valent; quibus omni-

omnibus accedit, quod in hisce artuum extremitatibus, termini ac limites humorum effluentium & reffluentium a natura constituti sint. Hinc recte monet WEDELIVS *in Diff. de pernionibus Cap. III.*  
„Cum ergo hinc sanguis retrolabi, & per oscilla va-  
„forum arteriosorum excidens, in detumescentes po-  
„ros & canales venarum recipi debeat, lympha vero  
„seorsim quoque canaliculis suis excipi, & retrolabi;  
„nullibi magis, quam his locis in motu impediri &  
„alterari possunt, & inde partes illas magis oportet  
„adfici.

§. V.

*Generatim* autem perniones ex immoderata ar- *signa pernio-*  
tuum extremorum refrigeratione, ab aeris vel aquæ *num diagno-*  
frigidioris iniuria, huic vel illi corporis parti intro- *stica.*  
ducta, optime dignoscuntur. *Speciatim* ubi *mitiores*  
fuerint perniones, tumor non adeo quidem inflammatorius, sed dilute rubicundus, cum sensu magis  
pruriginoso & obtuso observatur. In *gradu* pernionum  
*secundo*, ubi humores diutius stagnant, successi-  
ve partes magis tumescunt, graviusque dolent atque  
inflammantur; deinde superficialis accedit desicca-  
tio, unde saepius nascuntur fissuræ, striis lividis nigro-  
rubentibus interspersæ. *Tertius* autem pernionum  
*gradus* sensum magis dolorificum, vibrantem, freme-  
bundum non solum infert, sed membra etiam frigo-  
re correpta, ad apprehensionem, ambulationem, o-  
mnemque motum voluntarium reddit inepta. Tan-  
dem vero, si graviores & profundiores fiant perniones, in exulcerationem & corruptionem putredino-  
sam, cancrofam magis quam sphacelosam abeunt.

B

Cete-

## 10 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

Ceterum hæc ulcera saniem fundunt, respectu aliorum admodum exiguum, tum quod affluxus humorum minor sit, tum quod partes ipsæ minus succulentæ sint atque exsangues; ubi vero cutis crassior est, ibi labia dura & prætumida adparent.

### §. VI.

*Signa prognostica ratione salutis & mortis.*

Ad *signa pernionum prognostica* quod attinet, ea, ut reliquorum morborum signa omnia, ad tres classes reducit WEDELIVS loco citato. Prima classis continet signa *salutis & mortis*, secunda complectitur, signa *longitudinis* atque *brevitatis*, tertiam modum *eventus* in pernionibus exponit. Ad *primam* horum signorum classem, respectu *generis* huc refert, quod perniones simplices & sibi relictæ, neutiquam periculosi sint, sed consiliis & auxiliis prudentis medici & chirurgi facile auscultent; id quod etiam de ipsis ex-ulceratis judicat, si congrue tractentur. Si vero ex perversa mediorum incongruorum applicatione, vel ex aliis causis tam internis quam externis, in putredinosam abierint corruptionem, illos non solum periculosiores, sed & aliquando incurabiles fieri; siquidem a privatione ad habitum non detur regressus, unde hanc illamve corporis partem, e. g. pedis manusve digitum, vel partem eius perdi necesse fit. Ratione *subiecti* ita iudicat WEDELIVS: quod perniones incipientes in partibus a nobilioribus longe remotis, e. g. brachiis pedibusque, nihil afferant periculi, sed maxime curationem patientur; in partibus vero nobilibus propinquis, pudendis nimirum, naso & auribus magis sint periculosi. Tandem ratione *causarum* sequens fert prognosticon: si præter frigus intensus,

tensum, aerem, aquam, temperamentum frigidius, textura tenerior, pedes œdematosi, dispositio scorbutica, ætas senilis & similia concurrant, periculosior etiam æstimandus est morbus, & vice versa.

## §. VII.

*Secunda signorum prognosticorum classis signa Ratione longitudinis atque brevitatis*, ut in aliis morbis, ita etiam in pernionibus complectitur, quæ ex variis pernionum gradibus, variisque vel levioribus vel gravioribus symptomatibus illorum optime petuntur. Brevi temporis intervallo ad pristinum statum reduci possunt pernionibus laborantes, si parti affectæ mature prospiciatur, si non negligatur malum, si congrue tractetur; contrarium vero evenire solet, si penitus insederit malum, perversa adhibeantur remedia, vel graviora adfuerint symptomata. Ceterum de *pernionum frequentiori recursu* notatu est dignissimum, quod ingruente frigore facile, & quasi ordinarie repullulent, tumore, rubore & dolore in istum locum revertente, qui semel frigore correptus fuit. Cuius rei rationem plerique Medicorum, a simili aeris concursu, humores gelare porosque corrugare magis apti, derivare solent, unde partes, debilitatæ olim, iam de novo eadem afficiantur molestia. Mihi vero ista quidem ratio vulgaris neutiquam videtur esse sufficiens. Præterquam enim quod autumno exeunte, & ineunte hyeme, frigus adeo mordax non occurrat, quod humores iterum coagulare, novumque istum tumorem, ruborem, doloremque cutis vehementem excitare valeat; experientia sane constat, quod perniones etiam recurrent in hominibus ditioribus,

12 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

ribus, qui pellibus atque plumis, & fornace non calente, sed fervente saepius, *externe, interne* autem diaeta aromatica, vinosa ac spirituosa, corpus suum ab omni aeris iniuria tum temporis sollicite defendere conantur, sed conatu irrito plerumque ac frustraneo. Rectius frequentiorem istum pernionum, ut plurimum morborum aliorum, sine causa materiali statis temporibus contingentem recursum, a *reminiscientia vitali*, multorum recurrentium morborum matre, mea quidem sententia derivare poteris; quo de argomento, ante duos abhinc annos, in hac ipsa *Friederiana*, docta prodiit dissertatio, *de reminiscientia vitali, quatenus caussa morborum.*

§. VIII.

*Quoad' modum eventus.* In *tertia* signorum prognosticorum *classe*, ea breviter occurunt signa, quae modum eventus pernionum ostendunt. Est autem modus eventus pernionibus communis cum reliquis tumorum generibus. Ad salutem tendit eventus, qui laxatis poris, & dissipatis humoribus stagnantibus, vel iisdem modo legitimo digestis & suppuratis contingit. In perniciem vero, partis saltim affectae, cedit, si in putredinosam corruptionem abeant perniones, sive *ulceroso-cancroso* fuerit ista corruptio, quae frequentius contingit, sive *sphacelosa*, quae rarius omnino evenit, nisi quidem profundior sit refrigeratio, sanguinem stricte dictum magis coagulans, vel incongrue tractetur; e. g. quando perniones calori mox admoveuntur, vel aliis calefacentibus remedii foventur. Quo autem saepius *recrudescunt* perniones, eo plerumque pertinacius se gerunt, eoque facilius in *exulcera-*

ulcerationem & corruptionem abire solent. Succedunt aliquando inquietudines, vigiliæ, dolores partium vicinarum, & plura alia incommoda, quæ satellitum instar perniones, in sensibilioribus plerumque, comitantur.

## §. IX.

Pergimus nunc ad *pernionum caussas*, quarum *pernionum* aliæ *remotiores* sunt seu procatarcticæ; aliæ vero sunt *caussæ remotiores*. *propinquiores*; alia demum est *pernionum caussa proxima*. De remotioribus primo loco; de propinquioribus secundo; de proxima autem tertio loco breviter dicemus. Inter caussas *remotiores*, ex rebus *naturalibus*, *temperamentum*, *ætas*, *sexus* & nimia quorundam subiectorum *sensibilitas*, potissimum hic in censum veniunt. *Temperamentum* quidem *humido frigidum* & *frigido-humidum*, aptius esse videtur ad perniones facilius subeundos, præ temperamento *calidiori* ac *sicciori*; *frigidum* nempe, quatenus ob calorem admodum debilem, frigori vix mediocri, nedum intensiori fortiter resistere valet; *humidum* autem, quatenus ob seri minus vividi præsentiam copiosiorem, ad faciliorem coagulationem & stagnationem magis est proclive. Ex *ætatibus*, *ætas* *infantilis* & *puerilis*, ob teneriorem & humidiorem corporis constitutionem, porosque magis patulos, facilis incurrere solet perniones, quam media ac consistens *ætas*, quippe quæ partim per calorem naturalem auctiorem, maioremque fibrarum renisum, partim vero per motum corporis fortiorem, frigus admodum intensum, satis quidem valide superare potest. Quemadmodum *ætas senilis*, quæ pel-

## 14 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

libus corpus tegit, & tempore hyberno fornaci proprius accedit, frigusque intensum sollicite fugit, pernionibus raro infestatur.

### §. X.

*Sexus.* Sexum quod concernit, mares quidem a natura calidiores fortioresque, ob frigus iam adsuetum, non tam facile perniones subeunt, ac sexus sequior, tumidior, frigidior, ac debilior. Quando autem FALLOPIVS de *tumoribus præternaturalibus cap. XLI.* contendit de *puellis*, quod illa quibus menses nondum fluxerint, pernionibus magis sint obnoxiae; illud quidem teneræ illarum ætati potissimum adscriendum esse videtur. Inter omnes vero res naturales, nulla facile occurrit, quæ ut aliis morbis pluribus, *Nimia sensibili-* ita etiam pernionibus magis faveat, quam *nimia quo-*  
*itas.* *rundam hominum*, non feminarum modo, sed viorum, licet forte effœminatorum, *sensibilitas*, tam hæreditaria quam adquisita, quæ tanta sæpe est in sexu sequiore, ut ad quamlibet auram paululum frigidorem illico horrescant. Cuius rei ratio neutquam in sola fibrarum teneritate, quod multi quidem volunt, quærenda esse videtur; sed perversus ille hominum sensibiliorum mos, quo aerem liberiorem cane peius & angue fugiunt, neque facile, etiamsi cœlum admodum fuerit serenum, extra fenestras prospicere audent, facit, ut ne quidem frigus modicum, nedum intensius, sine ingente corporis alteratione, perferre valeant. Quid mirum itaque, si homines isti delicatuli, non solum morbos hyemales internos, sed & externos, quo perniones maxime pertinent, præ aliis facilius incurvant, ubi aliquando manus pedes-

pedesque aeri frigidiori exponere coguntur. Inte-  
rim si pernionum frequentiam accurate observemus,  
non minus pueri, quam puellæ, ab iis infestantur: quo-  
niam illorum manus & pedes minus, quam harum,  
teguntur.

## §. XI.

Inter causas pernionum propinquiores, frigoris *Causæ pernie-*  
*hyberni inclemencia*, primum locum tenet procul du- *num propin-*  
bio. Experientia enim docet, quod non omne fri- *quiores.*  
gus hybernus, sed algor maxime, geluque paulu-  
lum intensius, extumescentias illas præternaturales  
in artuum extremitatibus producere valeat. Ante-  
quam vero pluribus ostendam, quanam ratione ma-  
ior frigoris gradus, partes nostri corporis tam flui-  
das quam solidas, in producendis pernionibus adfi-  
ciat, lædatque diversimode; ut *de frigoris indole &*  
*natura*, variisque eius *gradibus & subiectis*, pauca  
quædam in antecessum hic exponam, leges bonæ  
methodi requirere videntur.

## §. XII.

Vtrum *frigus ens positivum* an *privativum*; u- *Frigus in quo*  
trum *substantia* sit an *accidens*; utrum in *motu con-* *constat.*  
sistat an in *quiete*; inter veteres & recentiores, re-  
rum naturalium interpretes, longa semper, & su-  
binde etiam satis fervida, aliquando vero etiam sat  
frigida, fuit controversia. Hodie Philosophorum alii  
CARTESIVM sequuntur, qui frigoris rationem for-  
malem in *motus privatione* seu *quiete* ponit, ex eo  
fundamento, quod calor frigori opponatur, & eorun-  
dem operationes & effectus toto cœlo differant. Ca-  
lor quippe pro maiori vel minori intensionis gradu  
omnia

16 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

omnia expandere, rarefacere, adeoque particularum motum introducere; frigus e contra condensare, constringere, atque ita particularum quietem introducere videatur, dum quod antea expandebatur demum concidat, & ita quiescat. Vi igitur contrariorum inferunt, calorem per motum, frigus vero per quietem operari. Alii vero cum GASSENDI frigoris naturam itidem in *motu* confistere contendunt, cum eiusdem effectus e. g. in pernionibus, ubi frigus perinde ac ignis, sine vocis catachresi, urere dicatur, nequaquam meræ quieti adscribi possint, quin potius ab impellente quadam caussa necessaria derivari debeant; atque hinc concludunt, *calorem & frigus differre, ut motum rarefactivum & condensativum.*

§. XIII.

*Caloris & frigoris contrarii effectus.*

*Frigoris subiecta*

*Varii frigoris gradus.*

Quicquid vero huius rei sit, sive frigus in motu consistat sive in quiete; in eo tamen convenienter omnes, calorem resolvere, expandere, rarefacere, corporum particulas, frigus autem eas condensare, constringere atque coagulare; idque nobis sufficit ad explicanda ista phænomena, in pernionibus occurrentia, ut deinde videbimus. Ad subiecta autem frigoris quod attinet; frigus per naturam omnibus competere videtur in universum particulis, exceptis unice igneis, aereis nempe, aqueis, terreis, imo ipsis etiam salinis, sulphureisque, & quæ hinc miscentur corporibus in regno atmosphærico, minerali, vegetabili, & animali; ita quidem, ut tantum remittant de frigore suo, quantum de igne participant. Unde etiam de variis frigoris gradibus, quos per sensum tactus potissimum æstimare solemus, in tantum judicare possumus,

fumus, in quantum graduum istorum fundamen-  
tum, partim in maiore vel minore ignis præsentia,  
partim vero in varia corporum mixtione, adeoque  
ipsius aeris diversa constitutione, qua ipsas etiam ni-  
trosarum particularum, in aere obvolitantium varias  
figuras, potissimum quærendum esse videtur. Sup-  
ponere enim jubent, qui GASSENDVM hac in re  
sequuntur, materiam frigorificam alibi particulis  
valde acuminatis constare, hic autem obtusioribus  
& minus adeo penetrantibus, quod forte a materia  
aliqua, una in atmosphærā sublata, obtusæ sint, &  
aculeis privatæ; non secus ac in Mercurii dulcis præ-  
paratione usu venit, ubi materia antea quidem satis  
corrosiva, aculeis obtusis aut depositis, in sat utile e-  
vadit medicamentum.

## §. XIV.

*Aer frigidus* corpus nostrum undiquaque am- *Aer frigidus*  
biens, quo intensiori gradu friget tempore hyber- *quanam ratio-*  
no, eo efficacius tendines, membranas, cartilagi- *ne corpus no-*  
nes, ossa & sic dictas partes frigidas adficit, humo- *strum lœdat.*  
res a peripheria ad centrum urget, eos condensat,  
poros constringit, transpirationem, reliquasque se-  
& excretiones, impedito liberiori sanguinis circulo,  
retardat, multorumque morborum hyemalium pa-  
rens evadit fœcundissimus. Qua de re, suo iam tem-  
pore, graviter exposuit HIPPOCRATES, tum pecu-  
liari libro *de aeribus, aquis & locis*; tum *Sect. III.*  
*Aphorismorum*, ubi de morbis temporum & ætatum  
differit ex instituto. Nostra vero ætate, B. noster  
HOFFMANNVS in diff. de *aeris intemperie multo-*

C

rum

## 18. *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

*rum morborum caussa*, distin<sup>c</sup>te satis docuit, quænam mala ex trigore intenso in corpus humanum redundare soleant. Unicum modo hic adferam locum: „Etenim, inquit §. III. si quid vitæ & sanitatis adversum & infestum, sane est ingens & acre frigus, si in solidas vel fluidas partes penetravit. Quid enim est, quod sanguinem tam potenter in motu suo progressivo, in circulum abeunte, fistere, & vel universum corpus, vel eius partes enecare possit, quam intensum & validum frigus, eo quod intestinum illum calidum motum, penitus extinguat. Et §. IV. pergit: Nocet vero quam maxime frigus ipsis solidis & exquisitiori sensu præditis partibus, quales sunt illæ, quæ tenuissimum illud fluidum, quod sensum & motum præstat, complectuntur, ut sunt nervi, membranæ, cerebrum, spinalis medulla, ventriculus, intestina, vesica, quas mirifice lædit, dum non modo fluidissimam illam validam materiam in motu turbat, sed & ipsos poros ac tenuissimos meatus obstruendo, stringendo, contorquendo vitiat, ut pristinum robur ac tonum ægerrime recipiant, atque adeo rebelles plane & invincibiles morbi exinde subnascantur.

### §. XV.

*Froxima per-*  
*niendum caussa.*

Ex quibus facile intelligimus, quænam sit proxima pernionum nostrorum caussa: *stasis* nempe humorum, *seri* potissimum atque *lymphæ*, a nimia artuum extremorum *refrigeratione* introducta; ubi partes fluidæ coagulantur, partes autem solidæ constringuntur, adeoque liber humorum circulus, in parte saltem

faltem frigore correpta, sufflaminatur, unde *tumor*, *rubor*, ac *dolor* partis adfectæ oriuntur. Sed recte monet Celeb. RIVINVS in diss. de *Frigoris damno*, quam *Lipsiæ* habuit, 1696. Rem omnem longe facilius expediri posse, in corporibus viventibus, si modo cogitemus, inesse illis spiritum animalem sensu præditum. Illum sentire insuetum frigus, ac ægre ferre, eo quod excellens sensile suum lædat sensorium, atque ideo fibras crispare omnes atque corrugare, quod in cute ipsa satis quidem obvium sit. Ita quidem hac de re differit §.XXXIII. addatur §.XXII. ubi sequentem in modum scribit: „quod si quicquam „hostile advenerit corpori vivo, cui se imparem cen- „set spiritus ille insitus, sensu præditus, fibrasque la- „cesset impetuosius; fugit idem quasi perterritus ad „interiora, cerebrum puta, cerebellum & medullam „spinalem, deseritque actionem suam. Id quod de animæ imperio, in motum corporis tonicum, pro vita & sanitate conservanda, diversimode alterandum, sat luculentum præbet testimonium.

## §. XVI.

Itaque si *levior* fuerit artuum extremorum *re-*<sup>Unde pernio-</sup>  
*frigeratio*, lymphatico-serosos humores, cum exigua <sup>num exalte-</sup>  
 tamen portione sanguinis remixtos, in superficie <sup>ratio.</sup>  
 modo *coagulat*; si vero *gravior* eveniat, tunc ipsum  
 sanguinem maiore portione *inspissat*. Unde priore  
 modo vel nullæ vel *leviores* tantum *exulcerationes*;  
 posteriore autem *corruptiones graviores*, subinde qui-  
 dem *cancroſæ*, interdum etiam *sphacelofæ* oriuntur.  
 Audiamus iterum hac de re, quem modo laudavi-  
 C 2 mus,

201 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

mus, QVIRINVN RIVINVM, qui l. c. §. XLI. de se-  
cundo & tertio pernionum gradu, ita quidem loqui-  
tur: „Quod si vehementius urgeat frigus, intenditur  
„dolor, atque dum ex pruritu fit inflammatio, pro-  
„pter maiorem impetum spirituum igneorum, qui  
„resistere fortius istæ molestiæ conantur. Inflamma-  
„tionem postea excipit exulceratio, ut communiter  
„fieri solet, peccante materia in purem coacta electa-  
„que. Idque facilis accedit, si madidæ fuerint ma-  
„nus pedesque, quoniam hoc pacto congelato hu-  
„more proprius aggredi cutiū potest, adhærente ge-  
„lu aut potius inhærente firmius. Quod autem ex  
„parva scintillula incendium haud raro maximum se-  
„diffundat, id quidem vel membris culpa videtur fi-  
„eri, vel culpa totius, si nimirum pars doloris impa-  
„tiens, v. g. calcanei tendo adficiatur, vel corpus uni-  
„versum fit cacochymicum, & ad gangrænam sponta-  
„neamque putredinem proclive.

§. XVII.

Perniones:  
quanam ratio-  
ne præcaveri  
possint.

Sufficient hæc; de indeole & natura, de variis  
pernionum gradibus, de signis atque cauſſis illorum  
hoc loco breviter dixisse. Jam supereft, ut de *confi- liis, auxiliisque & remediis* pauca quædam in medium  
proferamus, quibus partim *præcaveri* possint pernio-  
nes; partim vero *humores*, a frigore intensiori in sta-  
fin deducti, *discuti* & *resolvi*; partim vero, si id fieri  
non possit, & in ipsum ulcus abeant perniones, qua-  
nam ratione facilior illorum *suppuratio* *promoveri*,  
*mundificatio* necessaria debito modo *peragi*, & ipsa  
denique partium læſarum *consolidatio* optime juvari  
debeat.

debeat. Optime *præcaventur perniones* regulis diæteticis sequentibus: Aut vitandus est aer nimis frigidus, aut corpus, artusque præsertim extremi, contra frigus probe muniendi sunt, præsidiis ex animalium pellibus, aliisque calorem vel suppeditantibus, vel foventibus, frigorisque asperitatem infringentibus. Cave ne jejonus iter facias in frigore intenso; sine Cere re enim & Bacho magis friget corpus. In frigido nimis aere, cœli injuriis expositus, somnum ne ineas; nec lucrubationes in frigido conclavi in multam noctem protrahas, corpore non probe munito. Quietem tempore hyberno fugias, corpusque motu voluntario strenue exerceas. Quam ultimam regulam ut maxime necessariam, sollicite observant homines plebejī, qui juxta currum & equum pedites eunt, tempore hyberno, & dum corpus suum ipsi feriunt, manus atque brachia motu sane fortissimo exagitant. Plura de consiliis diæteticis habet WEDELIVS l. c.

### §. XIIIX.

Ante omnia, ubi vel integrum corpus, vel pars *Quid in principio pernionum facientur dum sit.* quædam extrema gelu fuerit correpta, ut vel aquæ frigidæ immergatur pars adfecta, vel nive plurima perficitur, commendant hodie ferme omnes; qualis curatio LIVONIAE, ISLANDIAE & NORWEGIAE, aliarumque septentrionalium regionum incolis usitatissima est. Nec enim vesperi diversorum ingrediuntur, aut ad ignem vel vaporarium accedunt, nisi egregie perfricatis prius manibus, extre mo naso & auriculis plurima nive. Vel si alicui trahat vecto, pro regionis more, manus pedesque probe

C. 3

con-

22 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

congelati fuerint, quamprimum diversorum ingressus est, non dubitat illico immergere partes gelidas in aquam frigidam aut nivem, atque sic eas refovet; vid. THOMAS BARTHOLINVS *de Nivis usu cap. XXIX. p. 162.* Chemici, qui contra regulam vulgarem, quod contraria contrariis curari debeant, *similia similibus* potuis curanda esse contendunt, ascribunt huius curæ rationem *confociationi particulorum homogenearum*; cum enim simile simili gaudeat, idque appetat omnibus modis, seu sociari permet, a similitudine frigoris extranei, frigus intus haerens accurrat, & ita priorem sedem derelinquit. Sunt qui *calori* id acceptum ferunt, & refrigeratis frigida prodesse adserunt, quia calorem coerceant, ut magis intendatur & fortius agat, venas enim esse constrictas, ut calori non detur via, unde a calidis frigus magis impingeretur. WEDELIVS loco saepius iam „citato, ita iudicat hac de re: „optimum fuerit con- „iungere singula, & præter similitudinem particula- „rum, præter calorem in corpore vivo excellentem, „in reliquis vero inanimatis evocantem frigus, a poris „transmittentibus id ipsum, & humoribus aqueis tam- „quam materiali frigoris, non neglecto motu humo- „rum naturali, deducere. Sed bene monet Celeb. PRÆSES tabula de *pernionibus*, quod vulgo quidem dicant: *man muss den Frost herausziehen*; verum rectius dicendum esse: *man muss das Gefühl, und mithin die Bevvegung in dem erfrohrnen Theile vvieder eruzecken*; hinc partem adfectam nivi vel aquæ non adeo intense frigidæ, tamdiu immergendam esse, donec refrigerata illa pars sensum frigoris successive percipiat.

§.XIX.

## §. XIX.

In primo pernionum gradu, ubi simplices tam *Qualem curarum* adsunt extumescentiae, leviter inflammatoriæ, sine insigni ardore; pars affecta, sive excutia, sive *scat primus pernionum linteis asperioribus aliquamdiu fricanda* est. Ita e-gradus, nim humorum resolutio facilius obtinetur, & fibra- rum crispatio excitatur, atque restrictio tonica re- vocatur optime; sed fugiatur modo vehemens fri- ctio, ad repentinam incandescentiam procedens. Dein de vero in *superficialibus & levioribus* pernionibus, ad humores coagulatos resolvendos, efficacia resol- ventia adhibenda sunt, quæ non solum laesioni san- guinis succurrant, sed & ipsum serum fundant ac collquent. Laudantur in hunc finem olea paulu- lum acria & sulphurea e. g. oleum petræ, oleum co- lophon. terebinth. balsam. sulphur. lixivia sulphurata. Præfertim vero commendat Illustris Dn. PRÆSES *oleum petræ*, quod levi sulphurea substantia imbutum est, & penetrantem efficaciam adversus ulcerosam itas in exhibit; itemque *spiritum vini camphoratum cro- catum*, qui egregia plane pollet discutiendi virtute. WEDELIVS l. c. præter fatus & lotiones variis ge- neris, tanquam singulare specificum ad perniones tam exulceratos quam non exulceratos, commendat & describit linimentum, quod PRÆVOTIVS & SCVLTETIVS ad cœlum usque extollunt, cuius ba- sis est *aspodeli radix*. RIVINVS autem in *diss. de frigoris danno* §. LVII. instar omnium laudat suum pediluvium, quod sequentem in modum describit: „*Vt adversus perniones remedium habeatur idoneum, præter vulgatissima, rapa nimirum congelata, poma,*

„poma putrida, pultem avenaceam, & quæ tanquam  
 „singularia & infallibilia commendat SORBAIT *Med.*  
 „*Pract. Tract. V. Cap. VII. p. 606.* cerebrum nempe  
 „cornicis, unguentum ex tritico sub nive virescente  
 „atque unguento rosaceo paratum. *Instar omnium*  
 „*esse poterit Pediluvium*, ex decoct. agrimoniae, hyssopi  
 „atque maioranae, si nondum exulcerati sint pro sco-  
 „po discutiendi : si exulcerati iam fuerint, ex ochra  
 „thermarum, quod utrumque multiplici experimento  
 „confirmatum, non possum quin omnino adprobem.

## §. XX.

*Quid secundus  
 Et tertius per-  
 nionum gra-  
 dus requirat.*

Vbi gravior facta fuerit artuum extremorum refrigeratio,  
 ut fissuræ non solum, sed ipsa etiam *ulcera* accedant ; acria  
 omnia exulent, & lenientia remedia adhibeantur necesse est.  
 Pertinent huc *rapæ* imprimis gelu colliquatæ, cum butyro non  
 salito, vel cum cera citrina in linimentum redactæ atque ad-  
 plicatæ ; *rapæ* recentes cum *ovo*, & parca dosi *myrrhæ* contusæ ;  
 oleum *lini* cum *oleo ovorum*; oleum *myrrhæ* per deliquum ; se-  
 dum vermiculare minus conquassatum & adplicatum ; *poma pu-*  
*trida*, & alia multa. Quodsi vero *ulcera* e fissuris propullulent,  
 & corruptionem ulteriore inducant ; tunc substantiæ illæ, ve-  
 luti emortuæ, separandæ sunt, per remedia *septica*, provide & mo-  
 destæ adplicata, e.g. per unguent. *Apostol. Aegyptiac.* vel nonun-  
 quam per sectionem. Facta corruptæ partis ablatione, *mundifican-*  
*tia* adhibenda sunt, præcipue myrrhata e.g. *oleum myrrhæ per deli-*  
*quum*, cum *oleo ovorum* remixtum. Ambitus autem circa tales fissu-  
 ras & ulcerationes, spiritu vini camphorato, leniter crocato, illina-  
 tur, atque ita ab ulteriori stasi & corruptione pars adfecta defendan-  
 tur. HABES hic L. B. integrum medendi methodum, & media quæ  
 in curandis pernionibus commendat. Celeb. noster PRÆSES.  
 WEDELIVS autem præter Venæsectionem & Scarificationem,  
 HIPPOCRATI iam usitatam, interne commendat lenia diapho-  
 retica, cinnabarina, nervina &c. Sed nisi individualis humo-  
 rum dyscrasia corrigenda sit, internis remediis hic  
 facile supersedere possumus.

T A N T V M.

VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO DANDIDATO  
IOHANNI THEODORO  
FRITZ  
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM  
IOANNES IVNCKERVS.

**G**rave mihi est tacere, NOBILISSIME CANDIDA-  
TE, in communi TVORVM omnium gaudio,  
nec propensionem profiteri in TE meam, quam  
TIBI iustissimis de causis debeo, quia nimurum meus  
fuisti alumnus, & probus postea simul in altero orphano-  
trophei Hallensis valetudinario *συνεργος*, egoque com-  
mittere non possum, ut singularis TVAE vel in hoc offi-  
cio obliviscar industria. Quæ tametsi ita sint, & omnia  
postulent, ut TIBI, CANDIDATE DOCTISSIME, ad  
solidam iam contendenti laudem gratuler, & summos in  
medicina honores rite capessendos applaudam, superva-  
cuum tamen esse arbitror, circuitione uti, longiusque hic  
argumentorum petere rationes. Sequar igitur hac in  
re doctum illum Platonicum, APVLEIVM, quippe qui,  
„generosus, inquit, aliquis est? Parentes laudas. Di-  
„ves est? non credo fortunæ. Validus est? ægritudine  
„fatigabitur. Pernix est? abibit in senectutem. For-  
„mosus est? exspecta paullisper, & non erit. At enim  
„bonis artibus doctus, & apprime eruditus, &, quan-  
„tum licet homini, sapiens, & boni consultus? tandem  
„aliquando ipsum virum laudas. Si ergo vir ipse, bo-  
D nis

nis artibus doctus, apprime eruditus & boni consultus, hoc est TV, CANDIDATE NOBILISSIME, a me iam laudandus es ; non possum, quin fatear, TIBI cum paucis hoc esse commune, pervenisse TE ad genuinam in medicina maturitatem. Tironum enim plurimi omnia non digna iudicant, nisi quæ in transitu noverint ; discunt quidem, ut HORATII verbis utar, assem in partes diducere, si de quincunce remota est uncia, quid superfit : sed nec bonæ mentis conscientiam, nec veram hominum salutem respiciunt, paucis, frigide potius omnia curant. At vero longe aliter res TVAE comparatae sunt, CANDIDATE DIGNISSIME ; quum enim per aliquot annorum spatium TE propius noverim, profectus TVOS in arte salutari non ex opinione, quæ tamen semper de TE optima fuit, sed ex vero, usu quippe & exercitatione, officio, consuetudine & utroque examine apprime confirmatus ingenue existimavi. Optime, profecto, præparasti animum, artesque fideliter traditas admisisti in pectus, & diligenter servasti usque ad messem. Boni autem TE esse consultum, eo minus est dubitandum, quia omnis medicina, quantum quidem per vires naturæ fieri potest, sanitati hominis vel conservandæ, vel si læsa fuerit, convenientibus remedii restituendæ interficit, & IPSE, quod modo ingenue professus sum, optimos in ea fecisti progressus, id quod specimen quoque inaugurale TVA industria conscriptum, abunde testatur. De cuius argumento, quod proponit, etiam præclare arbitror, quippe quod iucundum pariter ac in omni vita utilissimum existit, quia afflictam multorum fortunam mirum in modum iuvat ; qua in re IPSE TIBI optimus es testis, quum multos egenos pernionibus afflictos felici manu tractasti. Nec ulla

ulla est caussa, quam ob rem huius laboris TE poenitentat. Et quum chirurgiæ studia medicum maximopere decent, omnibus TE modis hortor, aut potius meo quodam iure a TE postulo, ut positis licet artis salutaris tirociniis, chirurgiæ, utpote discipline iucundissimæ, in postremum ne obliviscare. Sed plura non depromam, quia IPSE vel me tacente ea satis perspecta habes. Non enim non recordari poteris, quo semper in TE animo fuerim, quibusunque testimoniis amorem TIBI confirmaverim. Ergo quod restat, lætum fero omen, PARENTESQUE HONORATISSIMOS, qui sincero TE amore complectuntur, societate gaudii coniungens novos TIBI honores bene voveo & sincere gratulor. DEO indulgentissimo precibus ardentissimis commendatus vale, omniaque age feliciter. D. in Fridericana a. d. VIII. Maii MDCCXXXXV.

---

Wie schwach und nichtig ist doch unser kurzes Leben;  
Die Wiege hat bereits Gifft und Gefahr umgeben.

Wie viel und manchen Schmerz, wie vielen Unglücksfäll'n,

Pflegt unsern schwachen Leib, das Schicksal auszustell'n,

Und welcher Arzt vermag, die Fälle all zu zehlen  
Die unsers Corpers Bau; erst martern dann entseelen  
Frost, Wasser, Gifft und Stahl, samt Feuer, Wind  
und Rauch

Za, selbst gemachte Noth, verkürzt den Lebens Hauch  
Hier schützen Kronen nicht, hier helfen keine Thaten:

D 2

Erst

Erst modert dann zerreist der schwache Lebens Faden  
Was hilfft Hygäens Kunst, samt ihrer Panace ?  
Nebst Pulver, Gold-Tinktur und besten Kräuter-Thee?  
Das menschliche Geschlecht, empfindet Quaal und  
Schmerzen ;  
Ja endlich, stockt das Blut ; in unser aller Herzen.  
Ihr Fürsten unsrer Kunst, auch ihr seyd uns entwandt  
Dort fault der große Stahl und Hoffmann deckt  
der Sand.  
Unsterblicher Börhaar, und du auch bist verschwun-  
den !  
Ward doch an Wissenschaft, dir niemand gleich gefun-  
den.  
Gewiß die Heilungs Kunst, ist Kunst und Lehrer  
Wahn :  
Und ihre Schüler gehn, auf einer falschen Bahn :  
So rufft ein blinder Schwarm und ein verblinder  
Haufen  
Doch halt ! ihr Spötter halt ! ihr sollt mir nicht ent-  
laufen  
Verächter unsrer Kunst, Cardan und Mollier.  
Umsonst bestürmt ihr uns, ihr selbst wanft hin und  
her,  
Und zeigt nur daß ihr blind und die Natur nicht  
kennet  
Weil ihr das Wahre falsch und Falsches Wahrheit  
nennet,  
Sagt: sollte unsre Welt ein Gifft und Schlangen-  
Heyn,  
Und auch kein einzigs Thier zu unserm Wohl mehr  
seyn ?  
Soll jede Pflanze denn nur unsre Noth vermehren ?  
Soll

Solt selbst des Menschen Wiz und Wissenschaft  
nichts lehren?

Was Gifft und Schmerzen wehrt, was unsern Cor-  
per stärckt

Wenn man zu rechter Zeit noch seine Schwachheit  
merkt?

Erfahrung und Vernunft, die könnten euch beeweisen,  
Dass unsre Wissenschaft als heilsam sey zu preisen,  
Wenn nicht Obicius, Erastus und Kirsten,  
Benebst Höckelius und andern außer dem:  
Hygæns Heilathum vertheidigt und beschützt,  
Auch Du gelehrter Freund, Du zeigest was sie  
nützt.

Gewiss Du hast mit Fleiß, Dich in der Kunst geübt  
Drum nimm den Lorbeerschmuck, den Dir Hngaa  
giebt

Der Dir als wahrem Sohn, mit allem Recht ge-  
bühret,

Der Deinen Ruhm vermehrt und Deinen Scheitel  
zieret,

Du bleibst stäts beglückt, auch in entferntem Land  
Sowohl im kalten Nord als Africander Sand,  
Denn wer die Tugend ehrt, und Künste fleißig  
übet

Der bleibt beständig reich, geschäcket und beliebet.

Hierdurch wolte bey dem Hochgeehrtesten Herrn  
Doctorando seinen schuldigsten Glückwunsch  
abstatten

Dasselben

ergebenster Diener  
J. A. Reich,  
aus dem Solms-Laubachischen, Oppon.  
Debeo,

**D**ebeo, confiteor, pro nutu temporis esse,  
Namque dies merito hæc me plausus fœta se-  
cundi

Deliciis complet, læto dum lumine cerno  
TE applausu in medio ; quam TV sub flore iuventæ  
Molli, speque viris doctis clarisque probatus,  
Scilicet arte potens medicorum, usumque medendi  
Doctus, nunc candes cum laude ad Apollinis aram,  
Pæoniæque artis supremos sumis honores.  
Ingreditur TVA iam celebres, quos spondet, honores  
Sedulitas laudata ; simul nos condocet illud,  
**Quid** labor assiduus, morumque modestia possit,  
Præmia virtutum nunc accipe larga TVARVM,  
Præmia, non ulli, nisi digno, rite parata ;  
Quæ & semel intraisti decoris vestigia clari,  
Vrgendo plus usque ultra prodire labora,  
Spectari ut possis laudum in maiore theatro.  
Hinc mihi lætitia assurget, semperque manebit  
Causa hilari edendi veros de pectore plausus.

Hisce Nobl. & Doctiss. Dn. Doctorando amico  
suo honoratissimo applaudere, seque favori  
ipsius sempiterno comendare voluit

HENR. CHRISTIANVS MULLERUS  
Saxo - Gothanus M. Cult.  
Opponens,

**E**s fordert zwar die Pflicht, mein Freund Dich  
zu besingen,  
Es soll mein schwaches Lied Dir Lob und Wünsche  
bringen  
Weil selbst Appollens Hand vor Deinen edlen  
Fleiß  
Dein Haupt umwinden will mit einem Lorbeer-  
Reiß;  
Jedoch

Jedoch mein Saiten-Spiel gibt keine reine Thöne  
Die Saiten sind zu schlaff, der Dichter spielt nicht  
schöne,

Drum zürne nicht mein Freund, wenn keine  
Lieblichkeit

In meinen Reimen ist, die Dir die Treue wenkt.  
Wie viele haben nicht durch Gottes Gnad und  
Seegen

Woran bey jedem Werk am meisten ist gelegen,  
Und Deine Wissenschaft die Fesseln abgelegt,  
In welche uns der Fürst des blassen Reiches  
schlägt.

Die Armen wissen wohl, was sie bey Dir genossen  
Und mancher Thränen-Fluß wird nun um Dich  
vergossen,

Weil Deine Hülff' und Lieb von ihnen sich ent-  
fernt.

Nun zeig' auch anderwärts, wie man in Halle  
lernt

Nach Klugheit und Verstand den franken Körper  
heilen,

Besonders auf was Art des Frostes harte Beulen  
Geschickt zu heben sind. Und weil Du eilst  
von hier

So sey des Höchsten Schutz auch überall bey  
Dir.

Hiemit wolte dem Herrn Candidato bey der rühmlichst  
erhaltenen Doctor-Würde seine aufrichtige Freund-  
schaft bezeugen,

Dasselben

ergebenster Olener  
Mich. Andr. Gross  
aus Regensburg, Med. Cult.  
Carmina,

**C**armina quæ TIBI iam scribam Doctissime  
FRITZE ?

Vires dum monstrant cunctis TVA magna talenta,  
Gratulor ex animo, votumque annesto labori,  
Vt multis miseris semper solatia præstes.

Hisce Prænobilissimo Doctissimoque Dn. Candi-  
dato gratulatur

I. G. C. MITHOFF.

---

**H**eute seh ich Deine Scheitel mit gelehrten Lor-  
beer-Kräänzen  
Könnte doch mein treuer Glück-Wunsch alles niedrige  
begränzen.

Hiemit empfiehlet sich

C. E. T.  
B. L.



Chr. 17624